

**Dissertatio medica inauguralis De phthisi pulmonali : quam, annuente summo numine, ex auctoritate reverendi admodum viri, D. Georgii Baird, SS.T.P. Academiae Edinburgenae praefecti, necnon amplissimi Senatus Academici consensu, et nobilissimae Facultatis Medicae decreto, pro gradu doctoratus, summisque in medicina honoribus ac privilegiis rite et legitime consequendis / eruditorum examini subjicit Gulielmus Godfridus Deane, Hibernus, A.B.T.C.D.-Societ. Reg. Med. Edin. soc. extraord.**

### **Contributors**

Deane, William Godfrey.  
Parry, Caleb Hillier, 1755-1822  
Bath Medical Library  
University of Bristol. Library

### **Publication/Creation**

Edinburgi : Excudebant Adamus Neill et Socii, 1803.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/rnbh8wyf>

### **Provider**

Special Collections of the University of Bristol Library

### **License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by University of Bristol Library. The original may be consulted at University of Bristol Library. where the originals may be consulted.

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



1512732081





UNIVERSITY OF BRISTOL

MEDICAL  
LIBRARY

*Reskr. Med. 18*

SHELF





616-2463

---

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PHTHISI PULMONALI.

---

---

DISSECTATIO MEDICA

INAUGURATIO

DE

THESE PULMONALI.

---

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PHTHISI PULMONALI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et

Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO

GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS GODFRIDUS DEANE,

HIBERNUS,

A. B. T. C. D.—SOCIET. REG. MED. EDIN.

Soc. EXTRAORD.

VIII. Calendas Julias, horâ locoque solitis.

---

---

*Aggrediar, non tam perficiendi spe, quàm experiendi voluntate.*

CICERO.

---

---

EDINBURGI:

EXCUDERANT ADAMUS NEILL ET SOCIJ.

MDCCCIII.

DISSECTATIO MEDICA  
IN ANATOMIA

PHTHISI PULMONALI

QUAM

AVRUSTE LINO RUMINA

Et Professore Publico in Medicina

B. GEORGI BARRD, ES. T. P.

ACADEMIAE SCIENTIARUM BEROLINENSIS

PROBON

ANNO 1842

INSTITUTIONE FACULTATIS MEDICAE BEROLINENSIS

1842

GRADU DOCTORATUS

ADHUC IN MEDICINA HONORARIUS AG PROFERRE

ETI ETIQUETTE CONSERVANDI

INSTITUTIONE FACULTATIS MEDICAE BEROLINENSIS


GUILIELMUS GODFRIDUS DEANUS

RECTOR

ET V. G. D. - ANNO 1842

BEROLINAE

INSTITUTIONE FACULTATIS MEDICAE BEROLINENSIS



1842

FRATRI CARISSIMO,  
JOHANNI BERKELEY DEANE,

ARMIGERO,

DE *BERKELEY*

IN COMITATU WEXFORDIENSI,

VIRTUTIBUS ET OMNIBUS ANIMI DOTIBUS

QUÆ HOMINEM EXORNANT

CONSPICUO ;

HANC DISSERTATIONEM ACADEMICAM,

CALAMI JUVENILIS PRIMITIAS,

UTPOTE SINCERUM

QUAMVIS PERTENUE

FRATERNI PIGNUS AMORIS,

SACRAM ESSE VULT

GULIELMUS GODFRIDUS DEANE.

THEATRI CAROLI 1793

JOHANNI BERKELEY DEANO

ARMIGERO

DE BERKELEY

IN COMITATU WESTMONTIENSI

VIRTUTIS ET OMNIBUS ANIMI DOTIBUS

QUE HOMINEM ENDEAVANT

CONSTITUUNT

HANC DISSERTATIONEM ACCEPIT

CALAMUS JOHANNIS BERKELEY

THEOPH. SINGULARI

GRATIA

DEI

1793

QUINIMODI BOSTONIENSI

*For*  
*Mr. Parry*  
*with Complts*  
*from the Author*

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PHTHISI PULMONALI.

---

§ I. **H**ISCE in paginis sequentibus, non tam “ scribendi cacoëthe” editis, nec coronam lauream adipiscendi gratiâ vel spe, quàm hujus Almæ justèque celeberrimæ Academiæ consuetudine legibusque inducto, mihi consilium est de *Phtbisi Pulmonali* paucis disceptare,—morbo attentionem medicorum quàm maximè promerente, sive vastationes ejus immanes spectamus, sive illam ho-

A

minum

minum partem quam cruciare præcipuè gaudet.

II. Nonne medici est, naturam illius stragis humani generis, hæctenus *opprobrium medicorum* justè cognominatæ, explorare conari, cujus incessus ars nostra vix aut ne vix quidem impedire potest? Nonne civis Britannici morbo animum præcipuè adferre, occasionem externis præbenti patriam suam stigmate notandi, huic solæ ferè proprio? Nonne hominis est, illam luctuosam pestem, cujus manu tot nostrorum juvenili florentes vigore, mentis corporisque dotibus præstantes; tot,

“ Modò sumptâ veste virili;”—

tot fœminæ, sæpiùs formosissimæ, ætate ipsâ quâ delectare et animum captare Naturâ designatæ sunt,—e vivis arripiuntur?

III. In hoc argumento tractando, in animo est attentionem præcipuè dirigere ei Phthiseos speciei

speciei quæ auctoribus *tuberculosa* nominatur: et si quid nimis temerè affirmaverim, juventutis imperitiæ et tenebris quibus res nostra, quæ medicorum scrutationem compluribus sæculis occupavit et elusit, inumbatur, potiùs quàm attentionis defectui, mea ex parte, ad facta quæ lucem afferent undique colligenda, adscribatur.

IV. Phthisis Pulmonalis quàm accuratissimè a CULLENO \*, verbis sequentibus, definitur: “ Corporis emaciatio et debilitas, cum tussi, febre hecica, et plerumque expectoratione purulenta.” Cujus in species duas divisionem assumpsit, *incipientem* scil. et *confirmatam*; illa sine, hæc cum expectoratione purulenta stipatur. Sed hæc potiùs ejusdem morbi gradus vel stadii mihi videntur; etenim omnibus in exemplis hanc supervenire illi invenimus, nisi tempestivâ manu occurratur; et  
perpauca,

---

\* Vid. CULLEN. *Synops. Nosolog. Method.* tom. II.

4 DE PHTHISI PULMONALI.

perpauca, si ulla, sunt exempla Phthiseos confirmatæ, nullâ incipiente prægressâ.

v. Hujusce morbi historiam tradendo, non necesse habeo, omnia signa auctoribus depicta minutè recensere, quippe numerosa sunt, irregularia et incerta; satis superque mihi quàm paucissimis enarrare, ea quæ sæpiùs adsunt, et eo in ordine quo maximè occurrere observantur.

vi. Antecedit ferè semper tussicula dura et sicca, sonum edens cavum peculiarem, causisque levissimis aggravata; raucitas quoque, et levis dyspnœa, exercitatione vel die advesperascente insigniter auctæ. Dolor plùs minùsve lancinans, sed plerumque constrictionis vel ponderis sensus aliqua in parte pectoris, præsertim sub sterno, sentitur; et frequenter, absente illo dolore vel constrictionis sensu, decubitus in alterutrum latus dyspnœam auget tussemque excitat: dormitiones ægrum non recreant, sed somnia turbulenta et ingrata

grata continuè vexant ; mane languidus ex-  
pergiscitur, et languor ille totam in diem  
commoratur ; iners fit et exercitationem e-  
tiam lenissimam fastidit : vomitus haud rarò  
pastum subsequitur : macies nunc perexigua  
passibus certis progreditur, sed furtim pede-  
tentimque obrepit, adeò ut ejus incrementa  
ægro aut famulantibus nequaquam observari  
possunt.

VII. Signa jam memorata per menses, imo  
per integros annos, frequenter solummodo  
per totidem dies perdurent, ægro periculi in-  
conscio nil querente, donec signorum supra-  
dictorum aggravatione manifestatur morbus ;  
et huic inscientiæ phthisicorum incipientium  
attribuenda sunt tot dira exempla confirma-  
torum, totque mortuorum ;

————— “ Serò medicina paratur,  
“ Cùm mala per longas invaluère moras.”

VIII. Morbo progrediente, dolores pectoris  
ingravescentur, tussisque maximè vexat ; in-  
terdum

6 DE PHTHISI PULMONALI.

terdum equidem aliquantulum levatur hæc, exscreatione pituitæ spumosæ tenacis et opacæ, quæ gradatim copiosior fit, magna ex parte purulenta, subviridis vel subflava, et nonnunquam sanguine admixta vel striata, malè olens insuper, et inter spuendum salsus in ore sapor sentitur. Celeberrimus CULLENUS in opere de Medicina Practica\*, experimenta commemorat ex tractatu ingeniosi CAROLI DARWIN collecta, aliaque signa, quibus *mucus* pulmonibus exscreatus, a *pure* dignoscatur: horum autem, nostro GREGORIO spectatissimo Professore consentio, dicente, postremum solum Phthiseos certum signum esse, connectionem scil. exscreationis suspectæ cum febre hæctica, quæ semper hoc in stadio morbi adest.—Sed de his signis postea.

ix. Eodem ferè tempore, sed aliquando maturiùs, in sexu alterâ profluere cessant catamenia: in cavis manuum, pedum plantis et  
malis,

---

\* "First Lines," § 856.

malis, sentitur calor ardens, cùm advesperascat vel sumptis epulis maximè auctus, præsertim si cibum nimis liberum vel generosum sit: cutis plerumque arida, nisi statim ab exacerbationibus hec̄ticis, quando, præcipuè post vespertinam, per totum corpus sudores viscidi et profusi erumpunt, fronte, collo et pectore maximè humectatis: hanc solam exacerbationem in die nonnunquam cernimus; sed frequenter meridiana sese ostendit, quæ, remissione parvâ, ad vespertinam usque perdurat. Febris, paroxysmo instante, maculâ floridulâ et circumscriptâ super utrasque genas apparente, cætero vultu insigniter pallescente, designatur: oculi hebetes fiunt minusque micantes, mane plerumque aquosi.

x. Pulsus sub initio morbi sanum simulat; sed dum febricitat æger, magis citatus, et, pro gradu febris, celerior fit, interdum et plenior. Lingua ferè semper munda evadit; sed aliquando, in stadiis morbi provectioribus, versus interiorem partem lutea videtur, rubescitque

rubescitque apex. Os plerumque madescit, et sitis vix ulla sentitur, saltem nequaquam molestat. Urina, usque ab incepto morbo rubra et parca, sedimenti lateritii copiam maximam deponit. Appetitus ad cibum assumendum minimè depravatur; potiùs etiam præter naturam augetur, ut testatur GREGORIUS, qui, in prælectionibus suis præstantissimis, exemplum narrat ægroti huic morbo succumbentis, dum, ingluviei parens, mensæ accubuit.

XI. Nunc morbus tristis ultimum ad stadium appropinquat, magnâ debilitate stipatum, quæ capillorum defluvio, unguium aduncitate, pedum inflatione œdematosâ, et oculorum insigni nitore, vasis rubris carentibus, designatur; vires adeò infractæ sunt ægro, ut artus musculique inutiles fiant, etiam ad se in lecto convertendum. Alvus, sub initio adstricta, nunc diarrhœam colliquantem patitur, sudoribus matutinis deficientibus: sæpe eodem tempore adsunt diarrhœa et sudores, sed aliquando

aliquando mirum in modum alternant; his coërcitis, illa profluit; emanantibus, sistitur. Exscretio jam cessat, et tussis mitior evadit, remissis magna ex parte pectoris doloribus; et huic symptomatum remissioni, auctores spes ægrotorum sanitatis recuperandæ inanes attribuunt, quas dicunt hoc in morbo, ei solo proprias, semper ferè obtinere. Aphthæ faucium et linguæ ulceratio, sub finem ad sunt; emaciatio ferè incredibilis est, ita ut cutis ab ossibus denudatis haud rarò vulnerari dicitur.

XII. Observant hoc de morbo tractantes medici, spem vitæ prolataæ ægros nunquam ferè ad ultimum destituere: sed hanc observationem, quanquam non meum est negare, tamen omnibus in exemplis hujusce morbi, quæ, utcunque pauca, mihi contigit videre, confirmatam nequaquam observavi: e contrario, maximam desperationem stadium ultimum continuè comitantem annotavi, nisi cùm adveniat levamentum parvulum, in momen-

tum temporis solummodò durans, quod eorum circa ægrotos occupatorum anxietatem pervigilacem sublevare videtur, æquè ac ipsis spem afferre morbi intermissionem saltem, si non remissionem totam comparâsse: sed hæc levamina, aggravatione symptomatum semper comitata, ita frequenter apparent, ut intueri tanquam Naturæ ludus doceantur, miseræ scenas variantis quas tolerare damnati sunt, et a quibus solatium requiemque in morte sola invenire possunt:—

“ *Whilst over them, triumphant Death his dart  
Shook, but delayed to strike, tho’ oft invoc’d  
With vows, as their chief good and final hope.*”

MILTON.

XIII. Phthisis per hoc iter plerumque tendit, eundem verò ordinem nequaquam semper observant symptomata, nec eodem temporis spatio cursum peragunt; sed varietas maxima adest. GREGORIUS noster, in prælectionibus, exempla duo narrat, quorum in uno mulier dierum septemdecim spatio ab exortu

exortu hæmoptyseos, a quo morbus originem duxit, e vivis arrepta fuit; in altero, signa phthisica per annos duos et viginti cunctantur, nunc ferè quiescentia, nunc iterum acerbiora, pro anni temporibus, æstate fermè sublata, hyeme contrà maximè ingravescentia.

XIV. Nulla regio in orbe terrarum est, cujus cives atrox hæc tabes in orcum dimittere magis gaudet, quàm hujus nostræ insulæ. Computatur, ex tabulis mortuorum Londinensibus, triginta millia circiter hominum in Britannia, Phthisi solâ, quotannis trucidari. SYDENHAMIO illustrissimo observatur, Phthisin pulmonalem, his in insulis, trientes eorum duos necare, qui chronicis morbis ceciderunt, et morbos chronicos tertiam hominum partem jugulare: unde patet, hoc uno morbo verrari duos ex novem qui hac in insula interimunt.

XV. Cur in nostris præ aliis regionibus, sæviùs grassatur phthisis, nequaquam apparet.

ret. Certè omnibus medicis notum est, quasdam conditiones, seu ratione vivendi, seu loci situ, seu multis aliis ex causis pendentes, ad certos endemicos morbos, ipsis peculiare, inducendos, in omnibus terris contribuere : sed cùm regiones vicinas, sub eadem latitudinis linea, eodem in civilitatis statu, ideòque modo vivendi nobis non multùm discrepantes, vastationibus comparatè liberos observemus, fatendum est, et nobis dolendum, appellationem *morbi Anglici* huic tabi lethifero appositè applicari.

xvi. Medici quidam, non parvi nominis, opinantur nostrarum proclivitatem insularum ad Phthisin ex magno opificum numero in artibus sedentariis versatorum maximè pendere, qui in oppidis Magnæ Britanniaë ferè omnibus, admodum abundant. Alii autem, haud par ratione ut mihi videtur, a magnâ theæ quantitate quâ nostri utuntur, oriri putant : sin alios gentes respicimus maximam illius herbæ quantitatem consumentes ;—Batavos putà, qui  
perrarò

perrarò Phthisi affecti, largissimè usurpantur;—nequaquam videtur hujus usum minima etiam ex parte ad frequentiam morbi augendam contribuere posse.

xvii. Ætas phthisica ab anno decimo quarto ad trigesimum quintum est; sed morbus nullam ferè ætatem omninò parcit: infantes etiam morbo laborantes nasci, et post hebdomadas paucas e vita decedere, hecticâ exquisitè designatâ, dicuntur\*.

xviii. Fœminis, magis huic morbo, quàm viris est proclivitas. Hæc forsàn ex structura corporum delicatiore, vel vitâ sedentariâ quam degunt, pendet, ratione ad virorum habita: sed potiùs, ut mihi constat, vestitus leviores, hodierno consuetudini accommodati, pectora concinnè sed periculosè denudantes, mediamque corporum partem arctissimè

---

\* Vide REID'S "Essay on Consumption."

simè circumcingentes, ad eam proclivitatem summè conducunt : adde quod, in urbe præcipuè, interdiu calidè amictæ perambulant ; noctu verò fervidis, hyemali objectæ vi, fermè nudæ conclavibus exeant.

XIX. Suprà dixi (§ III.) in animo esse, ei Phthiseos speciei a tuberculis in pulmonibus oriundæ, attentionem præcipuè adferre, utpote plurimis in exemplis, ferè omnibus ut mihi videtur, ab his morbus originem ducit. Incisis mortuorum cadaveribus, tubercula per totam pulmonum substantiam dispersa, frequenter reperta sunt, non solùm in pulmonibus Phthisi peremptorum, sed etiam infantum et aliorum qui per totam vitam symptomatibus phthisicis, vel morbis pulmonariis evidentibus, nequaquam affecti fuerunt \*. De tuberculorum natura, et modo quo producuntur, omninò ignoramus. Apud medicos peritissimos diu increbuère variæ opiniones, quas  
enumerare

---

\* Vide BAILLIE'S "Morbid Anatomy."

enumerare nec necesse habeo nec sanè cordi est, utpote dissertationem supra limites solitos protrahens, et nullæ practicæ usui inseruens. Diversæ magnitudinis, plùs minùsve numerosa, acervatim jacentia, a seminis sinapi ad fabæ molem usque, inveniuntur; attamen non rarò minutissima sunt, ita ut oculi aciem omninò eludant.

xx. Tubercula hæc ad inflammationem, et ejus sequelam, suppurationem, quocunque modo pervenientia, Phthiseos pulmonalis causa proxima, plurimis saltem in exemplis, mihi apparent. Opinatur illustrissimus CULLENUS\*, (a quo dissentire eâ diffidentiâ verecundiâque tironem maximè decentibus, ausus sum), statum pulmonum ulceratum, febre hecticâ concomitatum, proximam esse causam morbi; et inter occasionales tubercula ponit, quarum quatuor prætereà ab eo enumerantur; Hæmoptysis nempè, Pneumonia, Catarrhus,

---

\* "First Lines," § 863.

tarrhus, et Asthma. Forsan autem hæ causæ, tuberculorum inflammationem ciendo, morbum solummodo excitare videntur, et Phthisis nequaquam his superveniet, nisi in eis quorum pulmones tuberculis jampridem affecti fuerunt, quæ sola, me iudice, morbo proclivitatem dant; et causæ prædisponentes variæ, auctoribus depictæ, quales sunt cervix longa, thorax angustus, venæ largæ et cœruleæ, cutis nitida, fibræ musculosæ conformatio tenera, ingenii acumen, sensibilitas magna, labes hæreditaria, &c. indices, ut opinor, tuberculosi pulmonum statûs duntaxat evadunt.

XXI. Tubercula pulmonaria semel formata, inflammationi præcipuè obnoxia sunt, et necessariò suppurationi: itaque facilè percipiendum est, affectionem inflammatoriam hæmoptysin, pneumoniam et catarrhum semper comitantem, nisi propriis strenuisque remediis efficaciter removetur, illam suppurationem inducere summè valere. Sed non æquè

què apparet quomodo causa altera, CULLENO tradita, asthma nempè, hanc inflammationem inducendo agit, nisi ex irritatione, quæ hoc in morbo pulmonum systemati datur, pendere putamus ; et quâ inflammatoriam affectionem ibi levem creante, tubercula ad inflammationem substantiâ pulmonum ipsâ forsan procliviora, maximè afficiuntur, pulmonibus vel corpore universo hanc affectionem nequaquam participantibus.

XXII. Acrimonia Exanthematica a CULLENO altera Phthiseos causa habetur, cujus modum operandi in morbo excitando, his in verbis explicat : “ It is probable, that all the  
 “ exanthemata may occasion a Phthisis, by af-  
 “ fording a matter which in the first place  
 “ produces tubercles \*.” Nunc equidem mihi maximè constat, ejus operationem faciliùs et rectiùs explicari posse, tubercula jam formata in pulmonibus existere supponendo (cui sup-  
 C positioni

---

\* “ First Lines,” § 880.

positioni dissectiones morbidæ auctoritatem plenam afferunt), et hæc ad inflammationem et suppurationem provenire, pulmonibus affectionem inflammatoriam participantibus, morbos exanthematicos constanter comitantem, quæ, in rubeola præcipuè, pulmones ferè semper invadit ; et igitur est, ut morbus ille, sæpiùs quàm alia exanthemata, Phthisi Pulmonali originem præbet.

XXIII. Explicatio hæc rationis quâ connecuntur Exanthemata et Phthisis Pulmonalis, dum simplex est, et ut intelligatur nequam necesse habemus ingenium torquere (longè aliter ab eâ CULLENO adhibitâ), eodem tempore exponit quare in paucis tam exemplis hanc illis supervenire videmus ; quòd si acrimonia exanthematica materiam ullam præbuerit, per se tubercula producentem, Phthisis post singulas variolæ vel rubeolæ aggressiones continuè expectanda est.

XXIV. Species

xxiv. Species altera acrimoniæ, syphiliticæ nempe, utpote vi tubercula producendi maximè pollens, ab illo ingeniosissimo auctore tradita est, de qua observat\*, nequaquam morbum inducere queat nisi in prædispositis; vel, cæteris verbis, ut mihi constat, in eis, quorum pulmones tuberculis compluribus obsessi sunt, quæ ad inflammationem fortassè perveniant, irritatione corpori universo syphilide datâ; sed potiùs, verisimile mihi est, irritationem quæ hoc in morbo tuberculorum inflammationi inservit, ex hydrargyri quantitate pendere, quæ nunc ad syphilida eradicandum largâ manu administratur.

xxv. Materia extranea in pulmones accepta, cui obnoxii sunt quidem artifices, ut lanarii, lapicidæ, molarii similesque, altera est causa Phthiseos Pulmonalis, uti testantur MORGAGNI, RAMMAZINI et alii: sed morbo prædispositionem solummodò dare videtur, et ad eum producendum, causarum aliarum auxilium idcirco requirit; pulvis etenim cui ob-

jiciuntur

---

\* "First Lines," § 881.

jiciuntur pulmones horum, tuberculorum fundamenta facilè jaceat, quorum inflammationem, quævis causarum excitantium jam memoratarum, concitare satis valeat.

xxvi. Medici quidam a contagio vagare morbum æstimant. “Contagium etiam hunc morbum propigat (inquit MORTON): Hic enim effectus, uti frequenti experientiâ observavi, lecti socios miasmate quodam, sic ut febris maligna, inquinat\*.” Sed aliorum experientia, his saltem in regionibus, ejus observationes nequaquam confirmat, et medici hodierni a numero Phthiseos causarum contagium justè rejecerunt †.

xxvii. De

---

\* Phthisiol. L. iii. cap. 7.

† De hac re, nunc equidem dubitare cogor; quoniam exempla quædam notabilia mihi retulit clar. Professor DUNCAN, in quibus certissimè videtur, morbum a Phthisicis in lecti socios, sanos, nec ullo in modo ad eum proclives, communicatum fuisse; ita ut contagione, ex halitu vel contactu, solâ, his morbus accedere potuerit.

xxvii. De Febris Hecticæ causâ proximâ, medicis omnibus qui de Phthisi aliquid literis mandârunt, contenditur, atque adhuc sub judice lis est. Tales sunt de ea conjecturæ, theoriæque, et tantùm inter se discrepantes, ut quo ad veritatem inveniendam confugiendum est, omninò ignoramus: sufficiat meam opinionem adducere, dum prælectionum eximiarum GREGORII Professoris auditor essem, formatam. Hecticam ex puris in corpore præsentîâ pendere, mihi certissimè videtur; sed quod attinet ad modum operandi hujus in eam producendam, nihil pro certo habemus, et semper inter arcana latere vereor; eodem tempore, verisimile est hanc febris speciem absque suppurationis connectione haud rarò evadere, et nequaquam sequelam necessariam esse existentîæ in corpore vel absorptionis puris, vel aëрати vel non\*.

xxviii. Pro-

---

\* Nuper invaluit opinio, absorptionem acidi peculiaris, conjunctione puris *oxygenio* generati, febrî  
hecticæ

XXVIII. Profecto in suo stadio, febre hec-  
 ticâ purisque exscreatione, omnibus ab aliis  
 morbis Phthisis facilis dijudicatu est. Sed  
 maximi est momenti ut eadem incipiens à  
 catarrho accuratè dignoscatur, et hoc suis dif-  
 ficultatibus non carere, plurima testantur  
 exempla tristissima. Tussicula morbum in-  
 cipientem

---

hecticæ originem præbere. Hæc (ni fallor) Doc-  
 tore DRAKE primò proposita fuit, ad modum actio-  
 nis explicandum digitalis *amati* in stadio provec-  
 to Phthiseos sanando, ut ille adhibet.—En verba:  
 “ When pus is exposed to atmospheric air, it ra-  
 “ pidly attracts oxygen; an acid of a peculiar kind  
 “ is generated, and hectic fever, the effect of the ab-  
 “ sorption of aërated matter, is produced. Now,  
 “ as an ulcer of the lungs is perpetually exposed to  
 “ a stream of air, and of course an’ichorous poison  
 “ continually forming by the union of oxygen with  
 “ secreted matter, an important curative process  
 “ would seem to arise, from promoting absorption  
 “ so rapidly from the surface of the diseased parts,  
 “ that the pus shall be taken up as soon as secreted,  
 “ and consequently its combination with oxygen  
 “ prevented.” Vid. “ Medical Contributions,”  
 Page 480.

ipientem comitans, arida et levis, per multos menses ægrotanti parùm molestiæ creat: adest dyspnœa et pectus gravatum est, decubitusque in latus alterutrum difficilis; corporis vigor gradatim imminuitur, et tussis remediis *catarrhalibus* usitatis nequaquam cedit. In catarrho autem contrà, tussis acrior evadit, et a principio mucii exscreatione liberâ comitatur; dyspnœa nequaquam urget; adest ferè semper coryza, et haud rarò quoque pyrexia.

xxix. Signa verò diagnostica Phthisin inter et catarrhum, ex materiâ excreatâ nunc quæruntur; si *mucosa* sit, hunc adesse, si *purulenta*, illam, concluditur. Materies exputa in aquam marinam affusa, si fundum peteret (utì ab HIPPOCRATE accipimus) purulenta est; si nataret, mucosa; sed criterion hoc nequaquam erroris expers est; patet etenim, utrumque aère sufflatum, in aquæ superficiem natare. Nec magis confidendum est colori; vel

vel odori fœtido \*, qui ab pure evolvitur igni injecto ; quia mucus æquè ac pus, frequenter opacus evadit, et odorem fœtidum, igni expositus quoque emittit.

xxx. Experimentis a CAROLO DARWIN ingenioso institutis, discimus, pus et mucum acido sulphurico solubiles esse, at posterior multò faciliùs solvitur : aquâ verò solutioni additâ, separatur hic et in superficiem innatat, vel in flocculis suspenditur ; illud, contrâ, si solutioni aqua adjecta fuerit, ad imum præceps fertur, vel per eum diffusum, liquorem turbidum reddit. Prætereà, ab eodem noscimus, alcali causticum pus æquè ac mucum solvere ; pus autem, aquâ solutionibus additâ, præcipitari ; mucum nullam mutationem subire.

xxxI. Hæc

---

\* Sic CELSUS : “ Quicquid exscreatum est, si in ignem impositum est, mali odoris est : itaque qui de morbo dubitant, hâc notâ utuntur.”—Lib. iii. c. xxii.

XXXI. Hæc aliaque hujusmodi experimēta, quanquam ingeniosa, nequaquam fallaciæ expertia, nec absque aliis signis diagnosticis confidenda sunt.

XXXII. Phthisin Pulmonalem etiam ab ipso ortu, periculi refertam esse, medici justè judicant; quo diutiùs perstiterit, eo infaustior est prognosis: medicus verò summâ prudentiâ et circumspectione semper augurare debet; etenim in conditionibus, de quibus vix sperare licet, ægrotus repenti et sine causâ evidente in melius vertitur, et vita diu protrahitur, nonnunquam integrâ cum valetudine.

XXXIII. In matutino morbi stadio, si signa omnia adhuc lenia sint, si vires non imminutæ, de ægri salute sperandum est, remediis idoneis tempestivè adhibitis. E contrariò, ubi sputum copiosum et pus referens superveniat; ubi vires multùm infractæ sint, febre hecticâ incumbente; ubi sudores matu-

tini vel diarrhœa molestant ; tunc ventum ad extremum est \*, et

— “ Mors atris circumvolat alis.”

xxxiv. Maniâ Phthisicis superveniente, uti a CULLENO accipimus, signa interdum ad tempus sublata sunt, nonnunquam etiam omninò summota ; eâdem secedente verò, majori vi rediunt, et interimunt. Observat pretereà ille sagax, in fœminis phthisicis dum uterum gerunt, signa sæpè mitigata esse ; post partum verò, iterum acriùs aggressura.

xxxv. Varia medendi consilia adhuc proposita quum morbus jam adoleverit, inania ferè

---

\* Ita HIPPOCRATES ;—“ Tabes cùm fiant, necessitatem habent, ut interimant.”

“ De Morbis,” Lib. I.

CULLENUS quoque ; “ From a certain degree of emaciation, debility, profuse sweating, and diarrhœa, no person recovers.”

“ First Lines,” § 898.

ferè semper evadunt ; si æger stadio in pro-  
 vectiore, feliciorē sortem subeat, fatendum  
 et dolendum est, magis casui quàm medici  
 præscriptionibus tribuendum esse : morbus  
 verò adhuc recens, plurimis in exemplis pro-  
 culdubio medelam admittit, et summo cum  
 beneficio adest medicus sagax.

xxxvi. Suprà (§ xix. et seq.) Phthisin  
 ex tuberculorum in pulmonibus existentia,  
 iisque in suppurationem provenientibus, maxi-  
 mè pendere, ostendere conatus sum : ad cu-  
 rationem deinde, causis morbi excitantibus  
 primò remotis, duo consilia in conspec-  
 tum veniunt, et menti quasi spontè se obji-  
 ciunt.

*Imò*, Quoniam haud nobis sunt medicamen-  
 ta, ad tubercula jam formata tollenda accom-  
 modata, illa, quæ quò minùs ad inflamma-  
 tionem rapiantur, prohibent, adhibenda sunt.

*2dò*, Cùm

2dò, Cùm in periculo summo æger versetur, et spes ferè nulla supersit, mitiganda sunt signa maximè urgentia.

xxxvii. Ad primum consilium attingendum, diæta moderata observanda est. Nullo ferè in morbo, ea pars curationis quæ ad diætam spectat, attentionem medici magis vindicat: nec libera nec parca foret: cibus ex lacte et seminibus farinaceis, medium tenentibus locum, phthisicis maximè convenit. Lac asinarium, digestu aptissimum, utpote plùs partē saccharinâ, minùs autem caseariâ et butyraceâ abundans, omnibus aliis hoc in morbo antitulerunt medici: nullâ antiphthisicâ vi præditum est; aliis verò præcellere videtur, quia minùs stimulat, et ægri ventriculum nequaquam onerat: sed non utendum est, ut nunc ferè fit, quâ medicamentum; potiùs verò, quâ pars alimenti præcipua\*.

xxxviii. Si

---

\* “ Si quis multum lactis potat, nullo alio eget alimento; in morbo enim bonum medicamentum est lac, ejusdem et alimentum efficitur.”

ARETÆUS, lib. vii. cap. 8.

xxxviii. Si diathesis inflammatoria adsit, regimen antiphlogisticum, frigore excepto, sedulò observandum est; et imprimis, si urgeant quoque magna spirandi difficultas, et ad præcordiam oppressio, sanguinis detractio, modica admodum, et intervallis debitis repetita, omninò necessaria est: equidem etiamsi absit plethora, venæsectiones parvæ celebrandæ sunt, pro ægri viribus, ætate, sexu, et consuetudine sanguinem amittendi, morbi quoque causâ excitante: nec, si ad hæc attentionem habemus, intermittantur, donec pectoris dolores, tussisque, saltem imminuuntur. Sin materies exscreata prorsus purulenta sit, vel si corpus macescat, vel hectica stipetur, a generali sanguinis detractioe nil boni expectandum est, potiùs verò exitûs fatalis festinatio timenda.

xxxix. Tunc ad remedia ejusdem generis topica, confugere oportet, quæ in morbis pectoris levandis multùm prosunt; vesicatoria, scilicet, setacea et fonticuli: ad hæc quàm proximè

ximè parti affectæ applicata, venæsectione nil valente, vel ægri debilitate interdicante, medici se recipere solent, et haud sine beneficio: horum autem, vesicatoria repetita multò efficaciora evadunt. His ad dolorem auferendam deficientibus, cucurbitulæ cruentæ applicatio fortasse admodum prosit.

XL. Si adsint diatheseos phlogisticæ signa, et, quod ferè semper fit in morbi principio, si alvus adstricta fuerit, cathartica mitiora adhibenda sunt; sed maximâ cautelâ usurpanda; quoniam per totum morbum, insignis est proclivitas ad diarrhœam.

XLI. Sanguinis congestio a pulmonibus avertenda est, determinationem ad superficiem promovendo, exhalationemque cuticularem augendo; et hâc ratione, ad remedia diaphoretica decurrere liceat, si debilitas nil obstet; sed administranda sunt plerumque cautè et parcâ manu: idem ad consilium meliùs fortassè respondendum, exercitatio lenis sub  
Jove,

Jove, et caloris gradus idoneus, magis prosunt, cum quod ad vestimenta, tum medium quo ægrotans circumdatur, attinet. Ex hoc pendet consuetudo phthisicorum prævalens, ad regiones australes migrandi, vel his in regionibus, temperiei æquali artificiosæ se cohibendi.

XLII. Frigus semper evitandus est, præcipuè si humore jungatur, cujus et caloris vicissitudines subitæ, nostris in insulis, indusio laneo proximè cuti continuè applicato, præcavendæ sunt; quo nihil sanguinem ad superficiem meliùs divertere conducit; dum lintea contrarium effectum potiùs habere videtur; hæc enim, sudore madefacta, frigoris sensationem excitans, exhalationem per cutem ulteriùs prohibet.

XLIII. Medici unâ voce, Phthisicis exercitationem maximè prodire consentiunt; verùm de genere ejus huic morbo aptissimo non convenit. Equitatio forsan, sub morbi initio, in-

ter optimas æstimari debet, si velocitas pulsûs non inde augeatur, et si debilitas nil impediât : Sed non verbis confidendum est clar. SYDENHAMII \* medicis benè notis, hoc de gestationis modo in Phthisi, loquentis ; experientia etenim nequaquam comprobât. Utilitas Phthisicis ex equitatione oriens, æquè ac aliis ex omnibus gestationibus, ad determinationem superficiem versus, augendam, planè tribuenda est.

XLIV. Exercitatio, quàm Doct̃or CARMICHAEL SMYTH, vir clarus, laudibus meritis onerat, ea nempe quæ ex sede pensili oritur, me judice, equitationem etiam præstat ; multò

---

\* “ Hoc tamen sanctè assero, quod, neque mercurius in lue venerea, neque cortex Peruvianus in intermittentibus, efficaciores extent, quàm in Phthisi curanda exercitium jam laudatum ; modò æger curet, ut linteamina probe fuerint arefacta, atque etiam ut satis longa itinera emetiatur.”

tò meliùs enim debilibus convenit et minùs defatigationem excitat.

XLV. Exercitationi iter faciendi, et tempestati æstivæ, quâ Phthisici, *Bristol*, *Tunbridge*, aliaque ejusmodi loca, se recipiunt, æquè ac societati, quâ ibi fruuntur, tribuendi sunt boni effectus, qui talibus ab excursionibus oriri videantur, potiùs quàm aquæ, cujus tantas quantitates haurire credulitas ducit.

XLVI. Excursiones hæ ferè semper ægris prosunt, si ineunte morbo, dum robur adhuc imminutum restat, inceptæ fuerint; sed majoribus in casibus, nequaquam etiam in mentem veniunt, donec vires adedò infractæ sunt, ut vix artus movendi potestas sit ægro, quando, vice requiem quantum fieri potest, pulmonum parvis reliquiis dandi, miser ad *Bristol*, vel ejusmodi locum rapitur, quò, si vivus appropinquat, advenit, mox faucibus Orci recipiendus.

XLVII. Quoniam digitalis purpurea arteriarum pulsus cohibere, et debiliores reddere, insigniter valeat, nequaquam mirum videtur, medicos ad ejus administrationem in Phthisi tuberculosâ incipiente confugere, utpote vi tuberculorum inflammationem cohibendi, maximè pollens, ideòque suppurationem impediendi. De ejus utilitate autem, hoc in morbo, adhuc strenuè contenditur: plurimi medici peritissimi, laudibus summis onerant; aliique, contrà, ejus usum in Phthisi non nimis vituperari posse putant: sed in hoc morbo lethali, contra quem non nobis sunt ulla remedia, quibus confidere possumus, medici est omnia tentare, et nil intactum pati, quod ad eum depellendum, minimâ etiam ex parte contribuere potest. Sin incipienti stadio solo digitalem administremus, mihi verisimile videtur, remedium esse, quod non solummodo, ad morbum depellendum, minore ex parte contribuere potest, sed etiam in quo, maximam fiduciam haud immeritò poneremus. Ab ejus usitatione autem in ultimis stadiis,

stadiis, me iudice, nil boni expectandum est ; e contrariò, debilitas sub ea maximè augetur, et ægrotus ad mortem intempestivum citatim rapitur.

XLVIII. Tussis, non tantùm ægrum perpetuè vexans, ut ne minimo somno frui potest, sed concussionibus reiteratis quas pulmonibus dat, inflammationem tuberculorum accelerans, et ad suppurationem præcipitans, quàm maximè sublevanda est. Si lenior sit, trochisci communes, vel mucilagines sub variis formis, summè conveniunt ; opium verò cautissimè usurpandum est, nisi in stadio provec-tiore, quando tubercula jamjam ad suppurationem provenirint. Ad tussem levandam, si his non cedat, emetica lenia, intervallis repetita, admodùm conducunt, ordinata pro ægri viribus, symptomatumque violentiâ : quibus administratis, duplex commodum præstari videtur ; rejiciendi scil. ex ventriculo pituitam viscidam ibi accumulata, et quoque pulmonibus vomitione compressis, evacuandi quicquid

quid mucii vel puris, vesiculæ aëriferæ, et ramificationes arteriæ asperæ contineant.

XLIX. Vomitioni, vel potius nisui violento et ferè perpetuo vomendi, magis quàm agitationi maritimæ, me iudice, ascribendum est beneficium a navigatione Phthisicis ortum: motus enim navis, admodum lenis et constans, parùm valeat sanguinem ad superficiem minore etiam in gradu determinare, ex quo beneficium ab aliis exercitationibus oriens, pendere videtur: dum contrà, omnibus medicis benè notum est, ad tale consilium proficiendum, nil magis valere quàm remediorum usum quæ vomitionem excitant.

L. Quod ad hydrargyri usum in Phthisi pulmonali attinet, quem antiquitùs VAN HELMONT\* præcepit, et medici quidam hodierni (inter quos celebrer et ingeniosus Dr RUSH de Philadelphia

---

\* Humid. Radical. p. 575.

Philadelphia maximè conspicuus) multis accumulans laudibus, nil pro certo habemus: mihi verò, si non periculosum, dubium saltem remedium videtur, a quo utpote stimulo potentiore, omninò abstinendum est. Si morbo adhuc immaturo, usurpetur, irritatio tuberculis data, inflammationem ciens, maximè timenda est: et in stadiis provecioribus, si febris hecica ex puris absorptione pendeat, ut quidam nominis magni volunt, nequaquam adhibere oportet remedium, vi absorptionem augendi notissimâ summè pollens. Dr RUSH duodecim exempla Phthiseos, quorum unum in stadio ultimo versatur, sanata protulit, in quibus hoc solum remedium usque ad salivationem ciendum, exhibuit:—pauca admodum hæc, ex his quæ exitum fatalem patiuntur! Nullum, etiam inanissimum ex remediis empiricis omnibus et variis, ad morbum hunc allevandum propositis, quod non medicorum attentioni pluribus exemplis faustis suffultum, introducitur.

LI. His de indicatione curativa, morbo inchoante, præfatis, facilè patebit mihi minimè placere rationem tonicam Doctore FOTHERGILL\* multis laudibus oneratam; quoniam tonicis, actione in corpus humanum, vim circulationis stimulandi, potiùs quàm cohibendi potestas sit. In exemplis hujus morbi nonnullis, tonicis a nostro claro Professore HOMIO† administratis, maximè noxia evasère, accessiones febriles potiùs exasperantia, quàm ut FOTHERGILL habet, reprimentia.

LII. De usu corticis cinchonæ hoc in morbo, sufficiat verba sequentia Doctoris REID citare: “ Though this medicine has been  
 “ exhibited in every stage of the disease, in  
 “ every form and quantity, there never was  
 “ an instance of a consumption of the lungs  
 “ being cured by it; on the contrary, I believe  
 “ experience will justify me in asserting,  
 “ ing,

---

\* Med. Obs. et Inq. vol. v.

† In Narrat. Clin.

“ ing, that in every case where it has been  
 “ given, the symptoms have been aggravated,  
 “ and the patient precipitated into the last  
 “ stage of the disorder\*.” Exempla duo  
 ejus administrationis morbo ineunte, quæ mi-  
 himet ipsi videre contigit, maximè nocere hoc  
 in stadio convincunt ; sed cùm exscretio pu-  
 rulenta, cùm hæctica, marcor et debilitas ad-  
 sint, cortex ille ad vires ægri suffulciendas  
 maximâ cum fructu, ut mihi constat, admini-  
 strari potest.

LIII. Altera indicatio curativa, suprâ  
 (§ XXXVI.) memorata, videlicet, signorum ur-  
 gentium mitigatio, paucis absolvi queat.  
 Cùm febris hæcticæ accessiones grassentur,  
 remedia ejus diversis stadiis propria usurpan-  
 da sunt ; in accessu frigido, diluentia tepida  
 ad eum corrigendum, et vesicæ aquâ calidâ  
 plenæ ventriculo, vel lateres ferventes pedibus  
 applicati, maximæ usui evadunt. Si accessio  
 calida

---

\* “ Essay on Phthisis Pulm.” p. 108.

calida dilucida sit, haustus effervescentes, confectio quæ Anglicè *ice cream* dicitur, et affusio tepida vel lavatio frigida, utiles quoque inveniantur.

LIV. In febre quoque, acida vegetabilia vel mineralia, utilissima evadunt, quæ ad sudores nocturnos coërcendos summè conveniunt, et quoque diarrhœam colliquantem cohibendam. Sed rectiùs forsan hæc sistenda est opio, aromaticis et astringentibus conjunctis; ea verò quæ modicè astringunt, sola utenda sunt; etenim alvi status in toto morbi decursu adeò peculiaris est, ut constipatio obstinata remediis communibus vix cedens, astringentium exhibitione incautâ induceretur.

LV. Ad tussem levandam ultimis in stadiis, mucilaginosi nil valentibus, ad opium confugiendum est, quod somnum exoptatum et ferè ignotum conciliat, et moribundo levamen generale, quamvis exiguum, afferat.

